



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CLI. Argumentum. Indicatur. Quàm grave piaculum sit Irreverentia in Ecclesiis? Quibus remediis eidem occurrendum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

hos unus Dominus Goyphy hæreticus arrepto cultro, pultibus usus pro charta, designare apice cultri cepit, (ob irrisum) imaginem Deiparæ ex objecto pariete pendentem; sed quocunque cultri apicem ducebat, exibat e pultibus cruor: quod tamen ille tum primum advertit, postquam manus rigore correpta cultrum amisit. Hoc territus, vovit, se fore catholicum, & repente brachii, manusque rigorem abiisse, seque sanatum esse sensit.

26 Guilielmus Lindanus in *Apolog. pro Relig. Carhol. cap. 11.* Muliercula quædam, oppido Hollandiæ, Aspera partuire cepit; convenere vicinæ, atque cognatæ: ubi illa enteretur difficilius, & gravillimè, non minùs, quàm periculosissimè laboraret, una circumstantium, pio ex more puerperam admonet, ut Divam Virginem MARIAM invocaret auxilatricem. Cui illa: Quid mihi istam, inquit, dicis scrofam? Erat enim infelix mulier hæretica. Verùm non defuit vindicta Dei; paulò enim post, nigellæ aliquot in lucem edidit, sed emortuas fuculas.

27 Augustinus Mannus in *Select. Hist. cap. 94.* In Civitate Theatina fuit Usurarius lepra à Deo punitus. Vovit, ut sanitatem reciperet, mittere eleemosynam centum aureorum ad Domum Lauretanam. Misit, & sanitatem recuperavit. Revertitur ad usuras, & correptus ab amico, respondit: si foenus peccatum esset, Deipara meam pecuniam non acceptasset. Nocte expergefactus sensit se iterum leprosum, & subter renes quasi titionem igneam. Accurrit uxor, & ibi reperit crumenam cum pecunia, jam ad Lauretanam domum transmissam. Paulò post Usurarius infelici morte consumptus est. Videatur supra *decif. 29. num. 12.* ubi verba ipsius Manni transscripti.

Contra Blasphemantes Sanctos, ac Servos Dei.

28 S. Bernardus in *Vita S. Malachia.* Quidam petulantis, & infruniti oris, S. Malachiam Hiberniæ Primatem appellaverat simiam; & Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit, & non aperuit os suum, dum consisteret peccator adversus eum. Sed ejus vindictam fecit Dominus. Eadem die Virum illum effrenis linguæ arripuit Dæmon, in ignem projecit, & varie cepit torquere; & non nisi vocato S. Malachia, eoque orante potuit liberari.

29 Philippus Abbas Bonæspei in *Vita S. Amandi cap. 38.* Vir Domini Vasconum fines ingressus, populo adhuc Idololatraz fidem Catholicam prædicabat. Quidam de turba levis, & lubricus cepit turpes effutire blasphemias, non sine cachinno & in servum Dei, & in fidei doctrinam. Statim corripitur à Dæmone, & lanio factus corporis sui, non multò post, procacem spiritum pœnis urgentibus exhalavit.

Hæc, & alia plura exempla punctionum, si Parochi enarraverint populo, quæ reperient apud S. Gregorium *lib. 4. Dialog. cap. 18.* in Admir. orbis Christiani *to. 2.* & in sylva Histor. Matthæoli *p. 1. l. 5. tit. 27.* Divino afflante Spiritu, blasphemiz extirpabunt.

30 Ultimo doceant blasphemos suscipere voluntariam penitentiam, quacunque vice, ex habitu malo, labantur in hoc peccatum; alii enim ea die ab esu carniū, alii à potu vini abstinentes, alii aliam mortificationem facientes, se emenda-

verunt. Matthæoli *d. tit. 27. exempl. 11.* Quod si non fecerint, clangant Parochi, & Prædicatores, quasi tuba, & comminentur blasphemis horrendas, & æternas pœnas inferni, juxta illud: *Commanducaverunt linguas suas præ dolore; quia blasphemaverunt Deum Celi, & non egerunt penitentiam ex operibus suis. Apoc. 16. 11.*

DECISIO CLI.

ARGUMENTUM.

Indicatur, Quam grave piaculum sit Irreverentia in Ecclesiis? Quibus remediis eidem occurrendum?

SUMMARIUM.

1. Irreverentia in Ecclesiis peccatum gravissimum.
2. Animalium irrationabilium virtutes morales.
3. Deus in Ecclesiis præcipue colendus.
4. Irreverentia actus in Ecclesiis.
5. Irreverentia in Ecclesiis piaculum grave ob tria:
6. Judæi ingredientiæ Templum, osculabantur pavementum.
7. Scholarius aliquorum audientium Missam peccata octo. Et quæ?
8. CHRISTUS Dominus præcipue in Ecclesiis honoratur.
9. Dotes gloriosa CORPORIS CHRISTI debita ab Incarnatione.
10. Mulierum peccata in Ecclesiis.
11. Mulieres ornata ab Ecclesia interdicta per S. Antonium.
12. DEIPARA cur vocata Vas insigne devotionis.
13. Offenditur graviter ob irreverentias in Ecclesiis.
14. Exempla vindictæ Divinæ ob irreverentias in DEIPARAM.
15. Lauretana Sacra Domus translationum causa.
16. Sancti summa cum reverentia stantes in Ecclesia.
17. Vetula in Japonia Baptizata à S. Francisco Xaverio devotio.
18. Sancti in Cælo obsequentes Deo.
19. Angeli coram Altissimo tremantes, & genuflectentes in Ecclesiis.
20. Domus Dei est Ecclesia.
21. Ecclesiarum Christianorum, & Templi Salomonis differentia.
22. Delinquens in Palatio Principis reus est læsæ Majestatis.
23. Equus alligatus muro Ecclesia vertitur in furorem.
24. Artifex impura canens in Basilica Sancti Petri, punitus.
25. Ecclesiarum ob reverentiam præmia & bona.
26. Flagella Divina ob irreverentiam in Ecclesiis.
27. Terramotus ob Ecclesiarum contemptum.
28. Templum Salomonis in figura Leonis. Et cur?
29. Bella ob irreverentiam Ecclesiarum.
30. Ecclesia Sponsa Christi.
31. Irreverentia in Ecclesiis gravia crimina.
32. Oves Hebræorum non depascebant in Monte Horeb. Et cur?
33. Animalia genuflectentia in Ecclesiis.
34. Filius Prodigus cur non punitus à Patre?
35. Theodosii Imperatoris reverentia in Ecclesia.
36. Ignorantia, neque inadvertentia excusat Profanatores Ecclesiarum.
37. Exempla Profanatorum Ecclesiarum punitorum.
38. Mulieres in Ecclesiis telis separentur à Viris.

Dixit.

Dixerunt, gravitatem piaculi ob irreverentias, quæ committuntur in Ecclesiis, resultare propter sex causas sequentes.

1. *Prima*, ob offensionem Divinæ Majestatis, quam cum debeamus colere, glorificare, adorare, & venerari, irreligiosè, & irreverenter stantes in Ecclesiis offendimus, & dehonoremus. Inter ceteras Morales virtutes præcipua est Religio, qua Deus adoratur, & colitur. Hæc Religionis virtus spectat ad solum hominem ratione præditum; nam cetera animalia, etsi habeant aliquam speciem moralium virtutum; nempe Ciconia pietatem, Canis fidelitatem, Turtures castitatem, Apes Virginitatem, Formicæ providentiam, de quibus Scriptura dicit; *Vade ad formicam; & piger, & discite Sapientiam. Prov. 6. 6.* Religionis tamen virtute sunt omnino expertia, & ejusdem solus homo est capax, qui Deum credere, adorare, & colere tenetur. S. Thomas 2. 2. *quæst. 81. art. 6.* Et quamvis ubique, & in omni loco Deus sit adorandus, & colendus; quia *Domini est terra, & plenitudo ejus. Psalm. 23. 1.* præcipue tamen voluit adorari in Templis, Ecclesiis, & locis sacris, in quibus dicitur habitare ex abundantia suæ Pietatis erga nos, sicut in Cælo dicitur regnare ex ubertate gloriæ suæ erga Sanctos, juxta illud: *Dominus in Templo sancto suo; Dominus in Cælo sedes ejus. Psalm. 10. 4.* Igitur Majestas Divina exigit ab hominibus in Ecclesiis, & locis sacris tributa adorationum, devotionum, humilationum, & orationum, quibus & exterius, & interius consueamur celsitudinem, & excellentiam ejusdem Divinæ Majestatis, & subjectionem, atque reverentiam, quam illi debemus, ut docet S. Thomas *cit. quæst. 81. art. 7.* & testatur Psalter Regius: *In Templo ejus omnes dicent gloriam. Psalm. 28. 8.* Igitur si homo Christianus accedens ad Ecclesiam ob Religionis virtutem, in ea committat irreverentias, lingua confabulando, ridendo, detrahendo, oculis mulieres aspiciendo, corpore, indecenter, incivilliterque sedendo, procumbendo, pedibus deambulando, genibus non genuflectendo, corde inhonesta cogitando, animo ad temporalia lucra, vel negotia reflectendo, quomodo Deum colit, honorat, adorat, & veneratur? Hæc sunt piacula gravissima in Deum, cujus Divina Majestas dehonoretur, cujus Templum despiciatur, ita ut non sit amplius *Domus ejus domus orationis cunctis populis. Isa. 56. 7.* sed domus confabulationis, conversationis, negotiationis, & irrisionis; imò ut ait Unigenitus Dei Patris, *spelunca latronum. Matth. 21. 13.* Hinclamentatur Dominus ob irreverentias, quæ committuntur in Ecclesiis, dicens: *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Hierem. 11. 15.* ubi tria notata digna, videlicet; Primum: *Quod dilectus meus*; id est populus Christianus, populus fidelis, qui veram habet fidem, qui in me credit, & tamen absque reverentia moratur in Templis Sacris; quod non faciunt Pagani, quod abhorrent Turcæ; ut notat P. Menochius in *Storæis Centur. 4. cap. 69.* Quod neque permittebant Judæi, qui legem imperfectam habebant, nam ingredientibus Templum, ex devotione, & religione erga Majestatem Divinam osculabantur pavimento, & parietes; unde illud: *Placuerunt servis tuis lapides ejus. Psalm. 101. 15.* Secundò est notandum, quod Dominus dicit: *In domo mea*; in qua scilicet standum est cum timore, & tremore. *Sanctuarium meum me-*

tuire: Ego Dominus. Levit. 9. ac proinde prote-
statur David: *Introibo in domum tuam: adorabo ad Templum Sanctum tuum in timore tuo. Psalm. 5. 8.* Tertiò, quod ait *scelera multa*; & per ly *scelera* intelliguntur irreverentiæ, quæ sunt peccata gravia, & ly *multa*, quæ ex diversis objectis multiplicantur; nam, ut aliquando observavi, cum essem adolescens in Ecclesia Sanctæ MARIÆ Carmelitarum Paduæ in die festo, ubi ad-
venerant nonnulli Scholares, Missam audiri, de quibus loquitur Glossa in *cap. Odi, in Verb. Sed suas 24. quæst. 1.* ipsi quidem, durante Sacrificio, alta voce confabulabantur de rebus vanis, impudicis, & contra famam personarum, & cum juramentis, mulieres adstantes intuendo; unde collegi commissa octo peccata distincta, scilicet peccatum non auditionis Missæ, peccatum irreverentia, peccatum incontinentia, peccatum detractionis, peccatum assumendi nomen Dei frustra, peccatum perjurii, peccatum scandalii, & peccatum otiosorum verborum: & nihilominus in Evangelio scriptum est: *Dico autem vobis, quoniam ob omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii. Matth. 12. 36.* En igitur ex hac prima causa gravitas irreverentiarum, quæ committuntur in Ecclesiis.

Secunda causa est ob offensionem Humanitatem Domini Nostri JESU CHRISTI, realiter in EUCHARISTIA existentis. Mente recolendum, voluisse Christum Dominum sibi Ecclesias, & Tempia Sacra dedicari, ut sibi compensarentur à populo Christiano injuriæ, opprobria, & ignominia, quas ob amorem nostrum passus est toto tempore vitæ suæ, & præcipue à Judæis in sua Passione. Quæ quidem recompensatio fit per devotionem, adorationem, orationem, Sacramentorum susceptionem, & piam Verbi Dei auditionem. *Ut jugiter (ait Eusebius) coleremus per Mysterium, quod semel oblatum fuerat in pretium.* Adeo ut Ecclesiæ substitutæ sint Calvario, & Altaria Cruci; & hæc est una ex præcipuis causis, qua Christus Dominus reliquit nobis Divinum suum Corpus, & Sanctissimam suam Carnem in Eucharistia, ut eidem retribuere gratum animo gloriam, & honorem, quibus per annos tres, & triginta, ob nostram Redemptionem se privavit. Debebantur enim quatuor dotes glorio-
sæ corpori JESU CHRISTI statim ab Incarnatione sua, ob hypostaticam Unionem cum Divinitate; sed ab eis contentus fuit abstinere, durante ejus vita mortali; & reputari sicut *Vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Psalm. 21. 7.* Statim verò post exitum Sanctissimæ animæ ejus ex suo Divino Corpore, voluit Carnem suam Sanctissimam honorari: quapropter ab hominibus nobilibus, & piis fuit de Cruce deposita, aromatum, & odoramentorum multitudine peruncta, in Syndone purissima involuta, ac in sepulchro novo collocata, & die tertio resurgendo glorificata. Modò à fidei populo attendit recompensationem injuriarum, quibus Judaica perfidia illum affecit. S. Thomas 3. part. *quæst. 51. art. 2.* Porro si hæc vera sunt, prout verissima, quàm gravia peccata sunt illorum, qui morantur in Ecclesiis, ubi adstat Sanctissima EUCHARISTIA, & in ea realiter, & verè CHRISTUS DOMINUS existit? scriptum est: *Dominus in Templo Sancto suo: sileat à facie ejus omnis terra. Habac. 2.* Sed quale silentium, si ubique confabulationes? Ait Princeps
Apo-

- Apostolorum locutus de Misericordia Redemptoris: *Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum. Amen. 1. Petr. 5. 11.* Sed quomodo dant
- 10 **CHRISTO DOMINO** gloriam Mulieres fideles, quæ ideo ornatissimæ veniunt in Ecclesiam, ut accipiant gloriam ab hominibus? aut quomodo subdunt se Imperio Unigeniti Filii Dei, quæ ita denudatæ comparent in pectore, in humeris, in brachiis, ut sibi faciant subdita corda hominum, tanquam idola, adorentur, & ipsæ tanquam Deæ cunctis gentibus principari videantur, quomodo per humilem prostrationem reddunt honorem Unigenito Altissimi, quæ per tumorem superbiæ se exaltant adinstar Luciferi? *Quis tu Mons magne coram Zorobabel? in planum. Zach. 4. 7.* Proh dolor! mulieres fideles, ut plurimum, ornantur Ecclesiam ingressuræ, non ut reddant gloriam JESU CHRISTO, sed ut amatoribus suis illam recipiant. S. Antonius Archiepiscopus Florentiæ tales mulieres ornatas, vel denudatas interdixerat ab Ecclesia, ut scribit Mainardus in *eius Vita*. Utinam id fieret hisce temporibus! Nec dicant mulieres, non se ornare ad malum finem: quia satis est, si ex earum ornatu sequatur malum. Obtemperent Apostolo dicenti: *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per bona opera. 1. Timoth. 2. 9.* Lutea facies coloribus picta, injuste petit gloriam, & honorem debitum Filio Dei.
- 12 Tertia causa, quæ aggravat irreverentias commissas in Ecclesiis, est offensio Deiparæ; ipsa enim vocatur *Vas insigne devotionis*, nam continebat in se excellenter omnes virtutes, quarum intuitu dignatus est Filius Dei in ejus utero: Virginali carnem sumere, & habitare novem mentibus. Ipsa fuit Templum Domini: *Antiph. ad Benedictus S. MARIE in Sab.* quia *Quem celi capere non poterant, Ipsa suo gremio contulit*: mox in domo sua illum educavit summa cum reverentia, obsequio, ac ineffabili amore: *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Ecclesi. 24.* Et tandem stetit juxta Crucem ejus, ipsiusque animam pertransivit gladius doloris; qui præ intensione, ac magnitudine assimilatus fuit vastissimo mari. *Cui assimilabo te, Filia Jerusalem? Cui exaquoabo re? Magna est velut mare contritio tua. Thren. 2. 13.* Modo dum videt dehonoriari à Christianis ingressis templa Filium suum Divinum, & seipsam, quid credendum, sperandumve restat, nisi quod ejus viscera pietatis claudantur, & relinquat locum Divinæ Justitiæ? Ex sequentibus exemplis comprehendere liceat, quanto Deipara odio habeat irreverentias in Ecclesiis commissas vel contra Filium suum Divinum, vel contra seipsam,
- 14 Ascanius Persius in *Hist. Imaginis Deiparæ Montis Guardia Bononia* narrat, quod duæ mulieres liberalis formæ, magnificisque vestibus, auro, & gemmis ornatae, (quæ tamen meretrices erant, sed non notæ) cum alloquutæ diu fuissent cum Sacris Virginitibus illius Templi, rogaverunt, sibi donari aliquem ex flosculis, quibus Imago Deiparæ exornabatur, illum devotionis gratia domum conservaturæ. Annuunt Virgines, dumque ab una ipsarum flosculus revelleretur, aer obscuratur, tonitrua, ac fulgura audiuntur, ac terræ motus: quare interrogant de suo statu mulierculas prædictas, & audita earum impudicitia, e

Templo illas emisunt; serenumque cælum erat, & ex hoc constat, quanti displicuisset Deiparæ audacia, & irreverentia prædictarum meretricum.

Idem de eadem *Sacra Imagine* scribit, quod anno 1535. cum quidam vir irreverenter voluerit tabernaculum ejus aperire, subita vi percussus, atque obstupescens, humi pronus conciderit, in poenam audaciæ, & irreverentiæ suæ.

Idem pariter notat anno 1588. nunquam potuisse aperiiri Sacrarum illius Venerabilis Imaginis, quando inhonestæ sceminae cupiebant adorare.

Gregorius Turonensis de *Glor. Martyr. lib. 1. cap. 20.* scribit, quendam ingressum Ecclesiam Deiparæ, ut pejeraret, ubi manus ante Altare stans sursum extulisset, Sacramentum mendax prolaturus, fuisse supinum, & ita caput in pavementum collisisse, ut vix vivens erigi potuerit.

Domus sacra Lauretana ideo translata, Ange-lorum manibus, tum è Nazareth, tum è Dalmatia, ut se subtraheret, ab irreverentiis Mahumetanorum, ac etiam Christianorum, ut ejus Historiam legentibus apparet in Tursellino, Joan. Villano, atque in *Admiran. Orbis Christi*, Joan. Bonif. Bagatta tom. 1. lib. 5. cap. 5. f. 8. num. 1. & 2. ubi consimile exemplum.

Quarta causa delimitur ab exemplo Sancto-rum, quorum Pietas, & devotio erga Ecclesias, quando vivebant in hoc mundo, & dum regnant in cælis in gloriâ beatissimo illo Templo, evidenter oburgat, & damnat irreverentias nostras. S. EDUARDUS Rex tanta reverentia, ac devotione Sacrificio Missæ incruento adhibebat, ut *CHRISTUM* aliquando inter Missarum solennia videre mereretur vultu blando, & divina luce fulgentem. In *Brev. Lect. 5. die 13. Octobr. S. WENCESLAUS Bohemiæ Dux* ob egregiam suam pietatem, & reverentiam erga Deum, & Ecclesias Summa Religione Sacerdotes veneratus, suis manibus triticum serebat, & vinum exprimebat, quibus in Missa Sacrificio uterentur: nocte nudis pedibus super nivem, & glaciem circuebat Ecclesias, sanguinea, & terram calefacientia post se relinquens vestigia. *Lect. 5. Brev. 28. Septembr. S. LUDOVICUS* Nonus Galliarum Rex quotidie plures Missas devotissime audiebat, & cum submissa voce loquentem audisset in oratorio familiarem suum, ita reprehendit, ut deinde nullas ausus fuerit quamvis minimam in Templo committere irreverentiam. Petr. Matthæi in *eius Vita*. S. HEDUVIGIS Poloniæ Regiæ Divinis officiis, & Missarum solennis à solenniis à solis ortu ad meridiem usque assidua erat assistens. *Lect. 4. Brev. 17. Octobr.* Hæc exempla transcribere non piguit, tanquam validissima ad ostendendam gravitatem culparum, quas committunt illi, qui stant irreverentes in Ecclesiis; non enim desumpta sunt è vitis Regularium, aut Monialium; sed ex observantia, & pietate Regum, ac Reginarum, quæ comparata irreverentiis inferiorum hominum, magis, atque magis ostendunt enormem eorum irreligiositatem: opposita enim juxta se posita magis elucet. *Arist. lib. 2. de Cælo cap. 6.*

Sed & aliud pietatis, & devotionis erga Ecclesiam audiamus exemplum. Catharina quædam senex annorum 80. in Amanguccia Insula Japoniæ, baptizata à Francisco Xaverio, media nocte surgebat ad orandum, & confitendum Domino; & quamvis hyemali tempore per nives,

ves, & glacies iret per miliaria quinque antelucanè ad Ecclesiam, in qua *Pater Cabral. Societatis JESU* Missam celebrabat, ac ibi devotè Divino Sacrificio Neophyta in fide assistebat, spretò timore Luporum, ac Tigrium, à quibus homines frequenter in itinere insultabantur. *Pater Daniel Bartoli in Historia Asia par. 2. lib. 1. pag. 23. 24.*

In Cœlo autem Sancti existentes; talem erga Deum in Templo illo beatissimo gloriæ exercent reverentiam, ut ex ea cognoscatur pariter turpitudine accidia, & pigritiæ nostræ in Templis Sacris: quandoquidem scriptum est de ipsis Sanctis: *Procidabant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sacula saculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem. Apoc. 4. 10.*

19 Quinta causa pravitatis eorum, qui se irreverentes gerunt in Ecclesiis, desumitur à Spiritibus Angelicis Sanctis; qui quidem leguntur stantes in Cœlis: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, Dan. 7. 10.* Porro in Ecclesiis pluries visi sunt genuflexi ob reverentiam debitam, & quam ipsi fideliter præstant JESU CHRISTO Filio DEI; juxta antiquum illud præceptum: *Et adorent eum omnes Angeli ejus, Hebr. 1. 6.* Et de Angelorum genuflexione in Ecclesiis testantur Sanctus Joannes Chrysostomus *lib. de Sacerd. & Sanctus Gregorius Papa lib. 4. Dialog. capit. 58. & Hierolexic. Magrii in Verb. Angelus.*

20 Sexta tandem causa desumitur è loco Sacro, qualis est Ecclesia; ipsa enim est verè domus Dei, & domus orationis. *Domus mea, domus orationis est cunctis gentibus. Matth. 21. 13.* Notandum, quòd in Lege veteri Jerosolymitanum Templum verè dici non poterat domus Dei; siquidem, ut ait Apostolus: *Deus non in manufactis Templis habitat. Act. 17.* Sed Tempia Christianorum verè sunt domus Dei; quia in ipsis residet, & habitat Dominus Noster JESUS CHRISTUS in Augustissimo Sacramento Altaris;

21 ipse enim dixit: *Ecece vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. 28. 20.* Et sicut Reges ad deponendam regiminis curam per aliquot dies habent domum deliciarum, ad quam divertunt, sic Redemptor noster reputat Ecclesias Christiani populi domus deliciarum: *Et delicia mea esse cum filiis hominum. Matth. 28. 20.* Ex his deducitur gravitas irreligiosæ irreverentiæ commissæ in Ecclesiis; sunt enim Divina Palatia Regis celestis, quorum ingressus non est licitus, nisi ad Regem adorandum. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. Psalm. 131. 7.* Idèoque gravissimè delinquant, qui vel confabulantur, vel alia indecentia patrant; quia crimen Læsæ Majestatis est in Palatio Principis delictum perpetrare. *Gigas de Crimin. Læsæ Majest. lib. 1. qu. 58. num. 7.*

23 Hinc habemus in *Actis SS. Martii. tom. 3. Bollandi*, quòd quidam miles secuturus castra in festo S. Quirini Martyris, equum suum alligaverat muro Ecclesiæ ejusdem Sancti; & ecce mox caballus in furorem versus, frenum revulsit, indomitique gyros egit; usque dum rotata vertigine mortuus concideret. Quo aperte Sancti indyctus Athleta offendit, sacra loca non esse stabulandis equis exponenda. *Bagatta in Admir. Orb. Christ. tom. 1. lib. 7. cap. 3. §. 2. num. 11. Si*

Doct. Clericati Tom. II. Lib. IX.

punitio in equum stantem apud Ecclesiæ muros; qualis pœna in jumentorum dominos; qui ea sinunt ingredi Ecclesiam? Sed quæ animadversio in homines, more jumentorum, irreverenter stantes, sedentes, aut se in Ecclesiis extendentes? Et demum quæ rigorosa castigatio in cogitantes, vel proferentes impudica? Notate exemplum. Anno 1630. in Basilica S. Petri Romæ ad ejus ornatum plures artifices elaborabant. Eorum unus amatoriam quandam cantiunculam exorsus est canere impuram. Corripitur à Sacerdote, & admonetur de irreverentia loci sacri. Risit ille, & irrisit. Paulo post labitur ex alta machina, & graviter elisus miserè occubuit. *Janus Nicius in Admir. Orb. Christ. tom. 2. lib. 5. cap. 3. §. 4. numer. 9.*

Remedia pro tanto morbo curando, & irreligiosis irreverentis eliminandis à Sacro templo pendent ab argumentis, & rationibus, frequentissimè per RR. Parochos, & pios Concionatores prædicandis; quorum præcipua sunt.

Primum. Quòd qui in Ecclesia dat honorem Deo, recipit remunerationem, & exauditor in his, quæ petit. *Da, & accipe, & justifica animam tuam. Eccl. 14. 16.*

Secundum. Qui devotus est in Ecclesia, consequitur remissionem culparum, & gratiæ Divinæ abundantiam. *Ego autem in multitudine Misericordiæ tuæ introibo in domum tuam. Psalm. 5. 8.*

Tertium. Ulterius ex devotione, & reverentia in Ecclesiis provenit remissio poenarum, quæ erant luendæ in Purgatorio; & idèò Ecclesiæ comparantur fontibus salutaribus, in quibus bibunt Unicornia, & ex quibus tollitur omne venenum peccati. *Edificavit sicut Unicornium Sanctificium suum in terra. Ps. 77. 69.*

Quartum; Quòd se devotè gerentibus in Ecclesia dantur bonæ inspirationes, & devotiones: è contra verò confabulantibus, & irreverentibus denegantur; ac in eis remanet spiritus aridus, & cor durum. *Dicit Dominus exercituum, quia domus mea deserta est, propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem. Aggeus 1. 10.*

Quintum. Quòd ob irreverentiam in Ecclesiis veniunt flagella, grandines, siccitates super satis, & vineis. *Pro eo, quòd sanctum meum violasti, in omnibus offensionibus tuis, & cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam, & non parceret oculus meus, & non miserebor. Ezech. 5. 11.*

Sextum: Preces publicæ, & Processiones in necessitatibus factæ hac de causa non sunt efficaces ad gratiam obtinendam. *Cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam. Ezech. 8. 18.*

Septimum: Terræmotus causa principalis hinc temporibus est irreverentia, & irreligiositas Christianorum in Ecclesiis; quæ olim in terræmotibus subsistebant. *Card. Baron. ann. 343. hodie prolabantur ob crimina in ipsis patrata; sic Deo vindicæ volente, & Angelis ministris Justitiæ suæ mandante: A Sanctuario meo incipite. Ezech. 9. 6.*

Octavum: Ob hæc peccata Christus Dominus, qui mitis est, & humilis corde, iratus operatur tanquam Leo: *Et ego faciam in furore meo. Ezech. 8. 18.* Hinc Templum Salomonis constructum erat in figura Leonis, & dicebatur *Ariel*, id est, *Leo Dei*, quia peccantes in Templis Deus punit tanquam Leo offensus. *Ar. Montanus de Templ. Fabr. Juxta illud: Zelus domus tuæ comedit me. Joan. 2. 17.*

Ff

No.

Nonum: Sancti Protectores nostri, videntes has Ecclesiarum irreverentias, cessant orare pro nobis. Tu ergo noli orare pro populo hoc, non obstitas mihi. Jer. 7. 16.

29 Decimum: Ab Ecclesiarum contemptu veniunt bella, & urbium subversiones. Posuerunt offendicula sua in Domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam: ideo, ecce dies venient, dicit Dominus, & quiescere faciam de Urbibus Juda, & de plateis Jerusalem vocem gaudii: in desolationem enim erit terra. Jerem. 70. 30.

30 Undecimum: Et jure quidem aggravatur manus Dei super profanatores Ecclesiarum; quia si servus servum offendat, corripitur ab aliquo jussu Domini. At si servus offendat Sponsam Domini, ausus peccare in illam, ab ipsomet Domino occiditur. At quis ignorat, Ecclesiam esse sponsam Christi? Sponsaque ritu cingeris, mille Angelorum millibus. Hymn. in Dedic. Eccles.

31 Duodecimum: Ideo inculcandum, & insinuandum plebibus, non esse levia peccata, quæ in Ecclesiis committuntur, sed gravia; sapiunt enim speciem Sacrilegii. Nihil ad Deum pertinens leve est: & quod culpa exiguum videtur, grande hoc facit Divinitatis injuria. Salvian. de Prov. lib. 1. c. 2.

32 Decimumtertium: Quod Hebræi ob reverentiam montis Horeb, in quo semel Deus locutus fuerat Moyse, non permittebant, oves suas pascentes illi appropinquare. Segneri in Christ. instruct. par. 3. serm. 4. nu. 19. Et eo minus debent Christiani dare pascua sensibus suis in Ecclesia, in qua præsens est idem Deus. Terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt. Psal. 88. 8.

33 Decimumquartum: Quod animalia ipsa irrationabilia sæpe sæpius venerata sunt loca sacra, & ipsum Deum; ut de duobus juvenis, oblati imagini S. Dominici Soriani, genuflexi in Ecclesia, refert Sylv. Frangipani in Hist. Sorian. Imagin. c. 27. Cui addatur mula hæretici esurienti, quæ tempore Thaumaturgi Nostri Sancti Antonii, relicto cibo, genuflexa Sacram Synaxim adoravit.

34 Decimumquintum: Quod fuit punitus, qui ad cœnam Regis intravit Non habens vestem nuptialem, Matth. 21. 11. Sed filius prodigus ubi misericordiam invenit, etiam graviter peccaverit, quia non in domo Patris, idest in Ecclesia, sed abiit in regionem longinquam. Luc. 15. 13.

35 Decimumsextum: Quod Theodosius Junior Imperator ingressurus Ecclesiam, non solum deponebat arma, sed etiam coronam ob reverentiam loci sacri. Segner. dist. serm. 4. nu. 10.

36 Decimumseptimum: Non esse suffragaturam hisce profanatoribus assertam inadvertentiam, vel ignorantiam, quia cum incessanter Pastores animarum prædicaverint, & docuerint, quod Terribilis est locus iste; hic Domus est, & Porta Cæli, per Sacrificia, & Sacramenta, non poterit populus in puncto mortis, quasi Jacob excitatus a somno dicere: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Genes. 28. 16.

37 Decimumoctavum: Referantur exempla elementorum, Principum, & aliorum, qui obsequi Ecclesiis, ac Templis sacris, mercedem à Domino reportarunt: & e contra punitiones eorum, qui in Ecclesiis irreligiosi fuerunt: quæ habentur in Sylva Historie. Matthæoli p. 1. lib. 3. cap. 1. tit. 23, tit. 24. & tit. 25. ubi abundanter.

Ultimum: Omni conatu Parochi fervare faciant Præcepta Eminentiissimi Præfultis, jubentis mulieres in Ecclesiis separari per telas strangulas ab hominibus, quod etiam statutum fuit in Constitut. lib. 2. cap. 61. & quod mulieres non nisi velato capite Ecclesiam ingrediantur cap. Penult. 35. quæst. 5. Barbosa de Jur. Ecclesiast. Univers. l. 2. c. 3. n. 32.

DECISIO CLII.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, Quæ, & Quot sint malæ cogitationes cordis? Quanta earum malitia? Quibus remediis repellendæ?

SUMMARIUM.

1. Appetitus Rationis, & Sensitivus, ac Phantasia quid sit?
2. Motus appetitus sensitivi quot sint?
3. Motus primò primi, & secundo primi an sint peccata?
4. Motus involuntarius, ac imperfectè, & perfectè voluntarius.
5. Consensus Voluntatis vel expressus, vel Virtualis, vel Negativus, & quando sit mortalis, vel venialis?
6. Desiderium, & Delectatio an sint idem?
7. Morosa delectatio quid sit?
8. Morosa delectatio circa divitias, an sit peccatum?
9. Desideria peccaminosa in hominibus diversa conditionis.
10. Cordis, seu cogitationis peccata quanam sint.
11. Ecclesia non judicat de occultis.
12. Hebræi non admittebant, cogitationes turpes esse peccata.
13. Cordis peccata cavenda, ac cogitationes turpes.
14. Seminationis, & Plantationis differentia.
15. Cogitationes turpes timende, & expellende.
16. Diabolus tentat vehementissime in extremis.
17. Concubinarius confessus, Sacramentis munitus, in puncto mortis desiderio concubina damnatus.
18. Aqua quò impurius, facilius ebullit.
19. Cogitationum turpium remedia.
20. Febris quando reputetur lethalis?
21. Cogitationibus turpibus satis an sit non consentire?
22. Cogitationes cordis turpes confitenda.
23. Cogitationes turpes in somnis repellendæ. Exempla.
24. S. Catharina Senensis tentata turpibus cogitationibus.
25. Item Eminent. Cardin. Baronius in senectute.
26. Castitas à castigando.
27. Mulierum conversatio fugienda.
28. Jacobi Eremitæ lapsus horrendus in carnalitate.
29. Sori Eremitæ rigorosa penitentia ob aspectum mulieris.
30. Pictura inhonesta nec videnda, nec habenda.
31. DEIPARAM habeant in Patronam, qui turpibus cogitationibus agitantur.

Pro intelligentia hujus casus, & eorum, quæ dici possunt, atque sciri debent à Parochis, & aliis Confessariis circa peccata cordis, & turpes cogitationes, præmiserunt.

Primò: Secundum Philosophos in libris de Anima, dari in homine Appetitum rationis, à quo